

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis septimo, mensis Martii, anno Domini M. DCC. XLIII.

M. ANTONIO CASAMAJOR, Regio librorum Medecinæ Censore, Doctore Medico, Præside.

An à temporum varietate varii morbi?

I.



OSUIT Deus hominem in manu consilii, hujus vitæ usum arbitrio permisit, incolumitatem & diuturnitatem arti tradidit; hæc qui negant deo injuriam faciunt; Medicus naturæ minister, interpres, adjutor, ad sanitatem totis viribus nititur, suaque consilia ita dirigit ut eâ vigente aut restitutâ conquiescat. Corpus humanum una res est, ejusdem una perfectio, nempè sanitas; hanc actionum integritas, nativa-

que pulcritudo conſtituunt. Medicina non unius hominis ſcientia eſt, ſed multorum hominum in unum quaſi collecta doctorum cujúſque ætatis, cujúſque regionis, variis lucubrationibus coacervata, nullis limitibus clauſa, ſed in totum univerſæ naturæ campum extenſa, tanquam planta vivax, & vegeta ſuis inhærens radicibus, perpetuò creſcens & producens, cujus ſors & conditio ea eſt ut fertilium ingeniorum laboribus nova capiat incrementa. Mineralia, vegetabilia, animalia ejus ſunt regna. Omnia ergo quæ in principio creavit Deus, cœlum ſcilicet, & terra, utriuſque educta, producta, nubila, venti, imbres, anni tempeſtates, temporumque viciſſitudines, alterationes, inverſiones, medici ſunt objecta.

I I.

QUANTÙM elementaris regio cœleſti debeat, atque hæc cum iſtâ naturali fœdere conſentiat, omnibus naturæ indagatoribus notum opinor; ſed quibus nexibus tota mundi compages cohæreat, quóve nutu inferiora trahantur à ſuperioribus, non ita perſpectum exiſtimo; * hæc ludibria ſibi, nobis miracula, ingenioſa fecit natura; neque vero quiſquam diffitebitur diverſos eſſe ordines eorum quæ ultrò citróque aſtrorum regina diſtinguit, niſi qui Ariſtotelem oſcitantèr legerit, aut negligenter intellexerit; naturas toto genere diſſitas in unum coire, ſimulque coaleſcere à ſenſibus parum facilè, ab intellectu difficilè comprehenditur; ſic tamen æternus orbis conditor omnia miſcet & ſociat, ſic univerſi machina condita eſt, ſuſtinetur & conſervatur; verum enimvero licet ſtabili lege moveantur ſempiternæ ſpheræ, multis tamen oppoſitis voluminibus anni tempora dividunt, ſubvertunt, & immutant, aeremque aliter atque aliter diſpergunt, hinc fit ut penes ipſas motus, penes nos mutatio inſignis ſpectari debeat, & æſtimari, ideoque aſtronomiam non parùm ad medicinam conferre, ſed etiam medico neceſſariam docet divinus ſenex, * ut ex ſolis motu, ſiderúmque concurſu, influxu, morborum eventus præſagiat.

* Plin. hiſt. nat. lib. 16. cap. 32.

* Lib. 2°. de diætâ. *Idem.* lib. de aeribus, locis & aquis.

I I I.

NASCI, vivere, mori, hominum ſors eſt atque conditio. Ortûs noſtri unica via eſt, interitûs verò multiplex. Alimenti tàm ſolidi quàm liquidi intùs ſuſceptione, vivimus, morimur; aeris ſubſtantiâ juvamur, afficimur; ſex rerum non naturalium uſu reficimur, deficimur; eorum ſumendorum tempus natura indicat, ordinem & præparationem ars præſcribit; quænam ſit horum præparatio & quibus

temperamentis hæc omnia aut noceant, aut conveniant, cur, quando, & quomodo soli medico diætetico dijudicandum. Sanitatis præsidia, morborum fontes in iisdem reperiuntur; ab aeris temperamento ut plurimum desumuntur contagia plùs minùsve horrenda secundum varia anni tempora. Solis motus, siderúmque ortus & occasus non per se, sed ratione subjecti bona vel mala efficiunt; singula anni tempora mutant, à quibus humores & corpora variè afficiuntur, ob varias aeris mutationes; non tamen in omnibus æqualiter, quia non modo naturæ, ætates, loci, sed etiam morbi ad alia tempora benè aut malè se habent pro variâ cœlorum conversione. Qualis aer, talis humor in corpore dominatur. Singulis anni temporibus sui sunt congeneres affectus, ver, æstas, autumnus, hyems, affines provocant morbos, propter temperamenti analogiam, in eos facilè incidit quisquis, in eâdem terrâ degens, simili temperamento, æquali complexione præditus est.

I V.

SANITATIS præsidia, morborum causæ, ab aeris temperamento nonnumquam desumuntur, ex aere, pluviis, ventis, cæli statu, locorum naturâ, variè immutantur secundum varia anni tempora; æstas quæ sicca & calida esse debet, interdum frigida fit & pluviosa, propter rerum inferiorum inordinationem variasque astrorum motiones, atque conjunctiones. Hinc valetudinis & morbi causæ oriuntur autore Galeno *. Sanitas in functionum integritate posita est, functionum integritas in naturali quâdam partium diathesi, in humorum temperaturâ; utramque aeris qualitates, inæqualites, excessus, defectus, immutant, alterant; natura subitas aeris mutationes ferre nequit, propter transitum ab uno extremo ad aliud. Nihil magis solidorum tonum & symmetriam infringit, fluidorum harmoniam & concordiam magis evertit, quàm præceps temporum mutatio, subita v. g. caloris aut frigoris vicissitudo, non modo toto alicujus temporis curriculo, sed uno etiam die. Æstu enim fermentescunt humores, incandescunt; frigore concrescunt, putrescunt, partesque nutritioni dicatas in sympathiam trahunt; hinc Fernelius noster tria recenset communium * morborum genera; Endemium à terrenis expirationibus, Epidemicum à temporum tempestatumque mutatione, pestilentem à malignâ qualitate cælitùs demissâ; corrupto enim cæli tractu, vitiatâque aurâ cagastrici nascuntur morbi, ex aeris dyscrasiâ corrumpuntur corpora, ex corporum corruptelâ grassantur undique mala, quorum miasmata per aerem disseminata ita germine pullulant ut nulla alia Pandoræ pixis fuisse videatur.

* Lib. III. de diebus criticis.

* Lib. 2°. de abditis rerum causis.

V.

AER in hominis vitam invadit ſub diverſorum ſpecie variâque conditione, ut fuerit cujuſque hominis natura, ætas, ſolis & cœli conſtitutio, tantâque aeris in ægris & ſanis habenda eſt ratio ut ſine eo * neque ſanitas ſervari, neque morbus tolli poſſit. Omne morborum genus, omnibus anni temporibus exiſtit, multi tamen certis anni tempeſtatibus faciliùs ingraveſcunt, quàm plurimi naſcuntur vitio temporum, cuique anni tempori peculiares ſunt alii. Ver ſuos habet morbos, ſui ſunt æſtati, autumno, hyemi. Suoſque iterando curſus in ſeſe volvunt tempora: hinc revertuntur anni, renovantur morbi, ſubvertuntur quandóque anni tempora, ver in æſtatem, æſtas in autumnum, autumnus in hyemem, hyems in ver degenerat; hâc temporum inverſione invertuntur morbi, vernales tempore æſtivo; æſtivi tempore autumnali; autumnales tempore hyemali; hyemales tempore vernali ſæpe ſæpiùs homines invadunt; aeris viciſſitudines ad morbos maximè conferre docet Hippocrates*. Auſter inquit diù dominatum tenens, auditum hebetat, capitis gravitatem, ſegnitiem & corporis laxitatem affert; ſi autem aquilo, ab axe ruens, terras perflat, tuſſes movet, eveniunt faucium morbi, urinæ difficultates, dolores pectoris; hinc ſequitur juxta mentem Hippocratis quod aeris mutationes morbos pariant * ac proinde quod ea quæ maximè aerem mutant, ad morbos maximè faciant.

* Hipp. aph. XIX. lib. III.

* Aph. V. lib. III.

* Hipp. lib. III. Aph. I.

Ergò à temporum varietate varii morbi.

Proponebat Pariſiis, FRANCISCUS BERNARD, Abrincenſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1743. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1743.